Quaestio theologica — de formali habitualis peccati ratione.

Ad Maiorem Vnius Triadis, & Trinæ vnitatis gloriam, ac perpetuum Semel Matris, semper Virginis, Augustissimæ Mariæ Honorem.

QVÆSTIO THEOLOGICA

Ex Prima Secundæ Doctoris Angelici.

De formali habitualis peccati ratione.

A

F. BENEDICTO MSTOVIO Ordinis Eremitarum S. PAVLI Primi Eremitæ Presbytero, Baccalaureo & Professore Sacræ Theol: in Cracouiensi Conuētu.

Sub felicibus auspicijs Admodum Reuerendi Domini, D. MARTINI CAMPII VADOVII S. Theologiæ Doctoris, Professoris, & Decani eiusdem facultatis, Præpositi Collegiatæ S. FLORIANI Ecclesiæ.

In Alma Academia Cracouiensi Anno Restauratæ Salutis M. DC. XXVIII. Mense Nouembri, Die Hora publice ad disputandum proposita:

ET

CRACOVIÆ, *In Typographia Valeriani Piątkowski IMPRESSA.*

aa.

IN STEMMA

Perilluſtris & Admodum Reuerendi Domini, D.

A. L.

S. S.

W. C.



S. R. M. S.

Rex eſt, in fluuijs inter reuatantia Salmo;
Imperat, inq; ſui corporis arce caput.
Stemma tibi, Salmo, Rex; gaudes munere Regis,
LIPNICKI, esq; ſui Regis in Vrbe Caput.

PERILLVSTRI & ADMODVM
REVERENDO DOMINO,

D. ALBERTO LIPNICKI, SANDOMIRIENSI Scholaſtico, Wrocłauien: Canonico &c. Adminiſtratori Zuparum Wielicenſium, S. R. M. Secretario, Domino & Mecœnati colendiſsimo.

P. BENEDICTVS MSTOVIVS Ordinis S. PAVLI Primi Eremitæ, Salutem & perennem fauſtitatem.

QVisquis in Syrtibus pleniſsimo huius mundi Oceano ex abyſsalibus vitiorum gurgitibus, procelloſisq; peccatorum vorticibus, in ſalutares iuſtitiæ hominem Deo pergratum facientis, virtutumq; diuinitus inditarum aquas commigrare percupit, more Salmonis turbidas aquas fugientis, & ſolis pellucidis gaudentis amnibus, confragoſas Sirenarum ad peccata pellicien-

tium subterfugiat Scyllas, & solis purissimis viuentium aquarum torrentibus inebriatus sobriâ in ebrietate detineatur; Natat hoc animal limpidis in vndis aduerso semper flumine, vt in optato escæ diu & longè, & latè quæsitæ bono tandem conquiescat: & tu turbulentissimas ærumnarum hac in nauigatione non infrequenter euenientium Charybdes paccato animi motu indies enitere superare, si salutari potatus aqua æternùm felix, & quietus æternæ fælicitatis ac quietis Empyreo in æquore portum tenere affectas. Sed cur Tibi, Tuorumq́ Heroibus Maiorum, Perillustris Domine, Salmonis Caput, præcipui præcipuum inter sui generis animalia animalis membrum pro Stemmate? Scilicet Maiores Tui turbulentarū turbulentos in Repub. seditionū fluctus exosi, soli candido in suā patriam amori, & quieti Reipub. insistentes, præcipuos Diuinarum, paternarumq́ legum conseruatores sese præseferebant. Mihi verò, & meis ex Sacræ Doctrinæ fonte exhaustis theorematibus, quid cum Tuo nobilissimo hoc Pisce? Leni & amico suæ benignitatis ac beneuolentiæ per Nostri Ordinis Eremum extenso susurro me illexit, & leniter monuit, ne extra ipsius thermas salutares, vberiorem aliarum aquarum irrorationem quærerem. Permitte itaque, Perillustris & Admodum Reuerende Domine, hos mearum lucubrationum riuulos ex Thomistico exortos æquore, in auitum Tui nobilissimi Salmonis Gangen defluere, vt ipsius salubribus intermisti aquis, vberiores accessu Tuæ liberalis irrorationis indies magis ac magis crescant. Vale æternùm.

Corpus

Corpus Quæstionis.

AN habituale peccatum ex actuali siue mortali, siue veniali relictũ, tam in genere moris, & vniuersim, quàm in ordine supernaturali spectatũ, in priuatione habitualis rectitudinis, vel moralis. vel supernaturalis. gratiæ nimirum iustificantis, aut ipsius feruoris, formaliter ita consistat, vt nihilominus præter ipsam priuationem, actus peccati, vel ordo ad eundem, per quem voluntariè inducatur priuatio, & sit voluntaria, vel etiam reatus pænæ, ad formalem habitualis peccati rationem adæquatè constituendam, omnino requiratur? necne.

ASSERTIO I.

PEccatum habituale moraliter, & vniuersim consideratum, consistit formaliter in priuatione habitualis rectitudinis moralis proueniente ex peccati præteriti actu.

COROLLARIA

1. Habituale peccatum sic acceptũ & explicatũ, in omni mortali, et veniali peccato, ĩ omni tã naturali, quàm supernaturali hominis statu, & tum in integra, tum in lapsa etiam natura, aßignari potest.

2. Ho-

2. Homo non solùm actu per actualem, sed etiam habitu per habitualem rectitudinem conformiter cum ratione se habere potest.

3. Rectitudo hæc moralis, cuius priuatio est peccatum, proximè penes conformitatem cum practico rectæ rationis dictamine: remotè, penes rationem Diuinam attenditur.

4. Actuum humanorum tam bonorum, quàm malorum moraliter, proxima regula, est recta humana ratio: remota, Diuina lex, et voluntas.

5. Vt humana voluntas sit recta, debet conformari Diuinæ in formali, non tamen in materiali volito, in quo homo positiuè etiam repugnare Deo potest.

ASSERTIO II.

PEccatum habituale ex actuali mortali relictum, in ordine supernaturali spectatum, in priuatione habitualis rectitudinis & nitoris supernaturalis, id est, gratiæ iustificantis, formaliter situm est.

COROLLARIA

1. Ex hac positione sequitur, in pœnæ reatu, siue hic ex parte hominis, relationem rationis positi-

situam, siue extrinsecam denominationem ab a-ctu Dei hominem ad pænam ordinantis, siue debitum et obligationem ad pænam subeundam denotet, peccatum habituale non consistere.

2. Dignitas pænæ de facto separatur à peccato habituali, in jis, quibus omnia in vltimo mortis instanti peccata quoad culpam, non tamen pænam, remittuntur. quis igitur formalem habitualis peccati rationem in pænæ reatu sitam esse aßeuerabit?

3. Sicut dignitas præmij habitualem consequens gratiam, eandem formaliter non constituit; ita nec pænæ, dignitas peccatum habituale, cum hoc reatui pænæ tanquam causa effectui præsupponatur.

4. Habitualis gratia, cuius priuatione mortalis peccati habitus formaliter constituitur, non est ipsa Dei, vel Christi imputata extrinsecè, sed intrinsecè nobis inhærens per modum habitus, iustitia.

5. Licet gratia habitualis cum peccato habituali in ratione maculæ eodem in subiecto, ne per absolutam etiam Dei potentiam simul consistere

poßit; in ratione tamen solius offensæ cum eodem diuinâ virtute cohærere potest.

ASSERTIO III.

HÆC priuatio gratiæ, vt peccatum habituale formaliter constituat, debet per peccati actum voluntariè induci, & esse voluntaria.

COROLLARIA.

1. Hinc inferre licet, Peccatum habituale, nec solo peccato actuali per pænitētiæ actū, vel quamcunque condignam mutationem non retractato, nec sola præcise sumptâ gratiæ habitualis priuatione formaliter constitui.

2. Peccatum habituale totaliter consistit in actu peccati, tanquam viâ et motu, per quem formaliter inducitur gratiæ priuatio: & in ipsâ gratiæ priuatione per peccati actum voluntariè inductâ, tanquam termino eiusdem motus intrinseco.

3. Ex quo colligere est integrum, actum peccati à priuatione gratiæ per ipsum inductâ aliquo modo distingui, sicut quemlibet motum à suo termino aliqua ex parte distingui est neceße.

Priua-

4. Priuatio gratiæ, prout de illa nunc loquimur, est amissio pulchritudinis supernaturalis, auersio à Deo, tanquam legislatore supernaturali, iniustitia, ablatio sanctitatis, inimicitia Dei, indignitas gratiæ, gloriæ, & cætera.

5. Homo in puræ naturæ statu constitutus contracto per peccati mortalis actum peccato habituali, priuationem gratiæ non contraheret, cum tali statui gratia habitualis, sicut & alia dona ordinis supernaturalis repugnent.

ASSERTIO IV.

PRiuatio gratiæ, ad variationem actualis peccati, per quod fit voluntaria, tam specificam, quàm numericam, tum specie, tum numero variatur.

COROLLARIA.

1. Priuatio gratiæ non à sola gratia habituali, cui priuatiuè opponitur, speciem suam desumit, quia alioquin omnia peccata eiusdem priuationem inducentia in eadem specie contineri esset necesse, quod est maximè a veritate alienum, imò erroneum.

Pecca

2. *Peccatum habituale, ſicut priuatione re-ctitudinis ſupernaturalis per actuale peccatum voluntariè inductâ, totaliter cõſtituitur; ita eadem ſic accepta ab alijs ſecundum ſpeciem diſtinguitur.*

3. *Quia hic numero vel ſpecie actus peccandi circa hoc numero vel ſpecie obiectum, hanc numero, vel ſpecie priuationem gratiæ inducit, ideo ad actus peccaminoſi variationem, ipſum quoque peccatum habituale & numericè & ſpecificè variatur.*

4. *Decretum Principis in Senatu Philoſophico Ariſtotelis 7. Phyſicorum. Priuationis nullas eſſe differentias. intelligi debet de differentijs ſpecierum per ſe, non autem alio modo, ad prædicamenta pertinentium, conſtitutiuis.*

5. *Priuationes diuerſa habentes fundamenta priuandi ſubiectum eadem forma, omnino diſtinguuntur. vnde priuatio liberalitatis in prodigo, diſtinguitur à priuatione eiuſdem virtutis in auaro, quia huius fundamentum, eſt defectus; illius autem, ſuperfluitas.*

Aſſer-

ASSERTIO V.

PEccatum habituale per actum venialis peccati acquisitum, in ordine supernaturali spectatum, consistit secundùm suam rationem formalem in priuatione feruoris gratiæ habitualis.

COROLLARIA.

1. Feruor, quem tollit peccatum veniale, consistit in actu gratiæ & charitatis, quo Deo-bonum perfectè volumus, ipsiusq; minimis etiam mandatis obedire.

2. Sicut habitus peccati venialis est auersio tantùm secundùm quid à fine supernaturali, à quo hominem retardat; ita macula ipsius, est priuatio feruoris pulchritudinis supernaturalis.

3. Nullum ergo est peccatum habituale supernaturaliter spectatum, quod vel non sit priuatio gratiæ, vel saltem eiusdem feruoris: sicut nullum est, quod hominem à Deo, tanquam vltimo fine suo, vel simpliciter, vel saltem secundùm quid non auertat.

4. Et hinc est, quòd nec omne peccatum habituale

bituale in priuatione gratiæ, nec omne in priuatione eiusdem feruoris; sed aliquod in priuatione gratiæ, aliquod verò in priuatione feruoris eiusdem consistat.

5. Totalis ratio peccati habitualis per actuale veniale acquisiti consistit in priuatione feruoris gratiæ habitualis per actum venialis peccati voluntarie inducta, si per se loquamur, sicut proportionaliter de habitu peccati mortalis supernaturaliter spectati simile quid conclusimus.

Benedictus DEVS vnus & Trinus.